

MISCELLANEUM

ANTIQUISSIMA EDITIO MISSALIS PRAEMONSTRATENSIS -:- -:-

In periodico *Càsopis ceskoslovenskych knihovniku*, t. IV, 1925. p. 142-145 (Periodicum bibliothecariorum cecoslovaccorum) director regiae bibliothecae Holmiae, Dr. Isak Gustaf Alfred Collijn articulum dedit de exemplari membranaceo Missalis Praemonstratensis ab ipso Praegae noviter reperto.

Quem articulum, auctore benigne annuente, hoc in loco, paucis omissis, referimus.

In *Nordisk Tidskrift för Bok- och Biblioteksväsen*, t. X, 1923. p. 77-85, prof. Conradus Haebler jucundum nuntium attulit de ignoto missali quod e typographia ghotani prodiit, et ob rationes non paucas attentione dignum est. Unicum hoc usque modo notum exemplar repertum est ab Haeblero in bibliotheca gymnasii Quedlinburgensis in Saxonia. Exemplar est completum, salvo folio ante canonem missae, probabiliter consueta imagine Crucifixi ornato. Missale autem caret titulo nec dicit pro quonam monasterio aut Ordine destinatum sit; calendarium vero, ad 6 Junii, habet: "Anniversaria domini norberti archiepiscopi fundatoris nostri ordinis", i.e. s. Norberti, qui ab anno 1121 Ordinem Praemonstratensem fundavit et 6 Junii 1134, ut archiepiscopus, Magdeburgi mortuus est. Missale repertum perinde missale est secundum ritum Ordinis Praemonstratensis et non solum antiquissima nota editio hujus missalis, sed sola quae saeculo. XV^o e prelo prodiit. Weale refert quidem editionem anno 1511 Argentorati (Strasbourg) editam. Usque modo tanquam antiquissimam editionem reputabamus illam quae prodiit Lutetiae Parisiorum anno 1508.

Bartholomaeus Ghotan eminebat qua typographus psalteriorum et missalium, quorum meminisse juvat Missale Magdeburgense a. 1480 cum typis Lucae Brandis necnon Missalia expensis Suedorum typis data pro monasterio in Strängnäs (Stockholm, 1487) et Abo

(Lübeck, 1488). Missale recenter repertum caret "explicit" et ita neque nomen typographi neque annum prodit; typi autem tum missalis, tum choralis (2, 3) tum canonis (4) manifeste ostendunt librum e typographia Ghotani exiisse. Secundum Haebler illud missale praemonstratense quidem editum est ante missale Magdeburgense, de quo supra.

Missale Praemonstratense, de quo agitur, constat 228 foliis (2°) sine signaturis, sed folia notantur numeris. Pars prima, de tempore, notatur num. I-CXL; folia 1-3 continent calendarium, dein sequitur Canon missae in 6 foliis non notatis, quem excipit pars de sanctis I-LXXXII; columnis binis, 35 ll; canon col. 1, 19 ll.

Hujus rarissimae editionis reperi — sic scribit Collijn, — anno 1925, in bibliotheca Universitatis Pragensis alterum exemplar, mancum quidem sed membraneum. Deest in ipso calendarium, folium X ex parte de tempore, in canone fol. 1 et 6 est manuscriptum et in parte de sanctis desunt 15 folia: I-X, LII, LXIII-LXIX, LXVII-LXVIII. In primo folio canonis habetur imago crucifixi manu depicta 265 × 175 mm.

Theca est lignea, corio suillo flavo coloris obducta. In capite et in calce codicis adsunt duo folia cum variis officiis et precibus.

Ad quemnam pertinuerit liber indicat nota, ex parte corrupta, apposita et sequentis tenoris: *Liber monasterii [Tepl]ensis (alia manu) comparatus per dominum Erhardum prepositum monasterii Chotiessoviensis anno primo sui regiminis a venerabili patre domino [Sigismundo] pro tunc abbate Teplensi anno domini 149iiij feria quarta ante [...]*. Missale itaque erat monasterii Teplensis et Chotessoviensis. Ambo monasteria fundata sunt a Hrosnata, nobili Bohemo, canonica Teplensis a. 1193 et Chotessovium, monasterium secundi Ordinis, anno 1196. Juxta notam modo allegatam, comparavit missale hoc praepositus Chotiessovensis Erhardus (Mügler) a. 1493, anno primo sui regiminis, et quidem a monasterio Teplensi. Erhardus, antea prior Teplae (1479-1492), electus est praepositus Chotiessovi, cui munere tamen a. 1504 renunciare debuit utpote impar disciplinae regularis conservandae. Supplere nomen abbatis Teplensis, quod in nota manuscripta discerni nequit, haud difficile est: annis enim 1458-1506 munere illo fungebatur ibidem Sigismundus von Hausmann.

Abbas Sigismundus insignem occupat locum in historia canonicae Teplensis, praesertim qua instaurator disciplinae regularis, ex influxu Hussitismi valde tepescentis. Quam ob rem, ipse se in Germaniam contulit, ut de monasteriis Saxoniae alumnos ad reformandos

Bohemiae conventus idoneos adduceret. Sic e monasterio Magdeburgensi tres sacerdotes eruditos assumpsit quorum opera disciplina et monasterii Teplensis et aliarum canoniarum restaurata est. Forsitan cum hoc reformandi studio in circaria Bohemica, cohaeret editio Missalis Praemonstratensis cura Bartholomei Ghotani Magdeburgensis.

Num et qualem partem abbas Sigismundus, occasione suae commorationis Magdeburgi hac in re habuerit nondum potui eruere. Certum est autem illum amatorem librorum fuisse, ut praeter alia constructio novi atrii, bibliothecae et officinae compactoriae (atelier de reliure) ab ipso fundata clara demonstrat. Sub ejus regimine bibliotheca multis novis libris aucta est, ita ut verus bibliotheca fundator habendus sit. Inveniuntur adhuc in bibliotheca Teplensi codices, ejus jussu manuscripti ab Udalrico Barth, clerico Magdeburgensi, nempe duo antiphonaria et unum missale cum notis: "Missale Sigismundi abbatis Teplensis", et "Hoc missale comparavit anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo".

Libri monasterii Chotiesoviensis, 22 Martii 1782 a Josepho II suppressi, bibliothecae Universitatis Pragensi incorporati sunt.

Ex editione missalis Ordinis Praemonstratensis, de quo antea, quae vix centum volumina superabat, tantummodo duo exemplaria supersunt, prout novimus: Quedlinburgense chartaceum et Pragense membraneum. Bibliothecae Strahoviensis et Teplensis, — inter alia copiosis collectionibus notissimae, — hac editione, ut exploratum habeo, carent. Missale Ghotani itaque inter rarissima missalia typis data, quae usque ad nostra tempora pervenerunt, censendum est.

E versione boëma F. Kleinschnitzová — V. Hůlka.